e-codices

huius loci Sanctitas et religio quasi solis radii penetrarint ac non gloria modo et splendore nominis sui verum etiam admiratione compleverit? hic hic tot Sanctorum in Caelo iam triumphantium charissimum domicilium, hic virtutum omnium iucundissima sedes, hic miraculis locus Sanctissimus, prodigiis religiosissimus hic Regum, praesulum, imperatorumque delitiae, hic Stygiae familiae terror, huc Caeli cives, huc ipsa praepotens Caeli terraeque Regina descendere, quasi parum ~~[illegible]~~ curarent imò iucundum illis foret Caelum relinquere si modo hoc in caenobio morari possent huc ergo descendere, hic apparere, se conspectibus offerre, nunc alloquiis modo colloquiis suos recreare, hic denique dulcissimum suavissimumque personare melos Angelorum, quid itaque mirum est tam maturam in pueris in monachis S. Galli indolem eluxisse quid enim aliud à pingui solo nisi bonos fructus speramus, quid aliud à docto magistro nisi pulchrum opus expectamus? sed longè se hic aliter res habet Benevoli Aud: pueri namque erant videbitis itaque in tenera adhuc planta quamvis optimum solum nacta, ne apparere quidem fructus, in pueris verò tenera aetatula quos fructus vidimus animis salutiferos, Superis odoriferos, omnibusque cunctos [?], omnibus admirabiles. Verum ad te nunc Corrade Caesar Augustissime nostra transeat oratio, quae tibi mens fuit? (si tamen mens fuit non abrepta stupore potius atque admiratione) quid inquam cogitabas, cum defixam in pueris oculorum haberes aciem, cum observares ac contemplareris modestiam eximiam? suspiceres constantiam in ipsa inconstantia? nonne calentes lachrimae prae pio cumprimis gaudio in oculis erupere et ab iis in regiam usque purpuram defluxere? nonne tacitus haec tecum ipse stupens loquebaris? haeccine illa disciplina est? hoccine illud caenobium? hi ne illi religiosi? de quibus tot tantaque olim inaudivi, Deus bone! quantum me fama decepit, quae

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20320r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20320r)